

A M A L V S   G O T H O R V M   E X T R A   P A T R I A M   R E X.



**A**Malus filius fuit defuncti regis Augis. Hic post patrem rex electus in ordine post Bericonem quartus extitit. Hic creditam sibi rempubli cam tanta diligētia atq; industria gubernauit & auxit, ut superioris ætatis principes non solūm æqua uerit, sed penitus superarit. Nam cū Curetes post amissam libertatem nouādis denuō rebus operam darent, atq; sibi Esteones gentem indomitam coniungerent, Amalus Suetiæ regem in belli societatem ascivit, atq; eos ingenti prælio superatos in seruitutem redegit. Ex hoc antiquissimo rege Gothorum præclara illa Amalorum apud Hispanos familia originem suam habuisse referūt, quæ non solūm illustrissimos proceres, sed etiam plures reges ac episcopos ex se produxit. id quod suo loco declarabitur. Floruit Amalus circa annum mundi bis millesimum sexcentesimum. Ioan. Mag. lib. i. cap. 18.